UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

Canones Apostolorvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

Visual Library

II. Concilium in cauſa electionis Diaconorum VII. Cardinalium, *Act.* 6. Quo eodem tempore Petrus Apoſtolorum Princeps Iacobum Alphæi, ſeu Minorem conſecrauit Ieroſolymorum Epiſcopum, præſentibus Ioanne & Iacobo Zebedæi: Vnde mos inoleuit, vt non minus, quam à tribus, conſecraretur Epiſcopus. Idque *anno* 34.

III. Concilium in cauſa Symboli Apoſtolorum componendi, *anno* 44. antequam diſpergerentur in orbem, vt Vnam haberent formam prædicationis; & ſuam quiſque teſſeram Apoſtolus.

IV. Concilium item *Anno* 51. in cauſa Legalium abrogandorum, *Act.* 19. Vbi Paulus & Barnabas ſententiam Concilij perſcripſerunt.

Item Petrus de Vocatione Gentium diſſeruit: conſcriptaque definitio ad cæteras eſt, miſſaque Eccleſias per Paulum & Barnabam.

Vnde mos obtinuit mittendi Legatos ad Concilium, vel ex eodem ad Papam.

CANONES APOSTOLORVM.

S. Clemens Papa *collegit* 50. *Canones vt Leoni PP. placuit: vt Zephyrino,* 60. *vt Synodo ſextæ* 82. *Atque eas fidei regulas ſeu Conſtitutiones eſſe factas Antiochiæ teſtantur S. Patres: queis & poſt Apocalypſim locum dedere primum. Eorum hæc ſumma eſt.*

1. *Epiſcopus à duobus aut tribus Epiſcopis ordinetur.*

2. *Ab vno Diaconus & cæteri Clerici.*

3. *Nihil præter Ordinationem Domini, in Sacrificio offeratur.*

4. *Cum S. Oblatio celebratur offerri licet ad luminaria & thymiamata.*

5. *Primitiæ omnium Epiſcopo, & Presbyteris domum mittantur; non ſuper altare, qui eas inter Clericos diuidant.*

6. *Vxorem propriam non abijciat: ſc. quaſi ſoluto matrimony vinculo: Secedant tamen ab eis, vt Synodus VI. Generalis habet Can.* 12.

7. *Curas ſæculares non aſſumant.*

8. *Paſcha ante Vernale æquinoctium non celebretur cum Iudæis.*

9. *Omnes de Clero in Miſſis communicent.*

10. *Fideles non exeant Eccleſia, niſi communicarint.*

11. *Cum excommunicato loquens, ſit excommunicatus.*

12. *Item cum eo orans.*

13. *Excommunicatus non ſuſcipiatur in alia eccleſia ſine Commendatitijs.*

14. *Epiſcopo liceat de vna ad aliam tranſire eccleſia ob maiorem profectum animarum.*

15. *Presbyteris non liceat propriam relinquere eccleſi m.*

16. *Qui eos ſuſceperit, excommunicetur.*

17. *Bigamo non liceat Gradum eccleſiaſticum ſuſcipere.*

18. *Viduam ducenti item non liceat.*

19. *Ducens viduam fratris aut filiam fieri Clericus nequeat.*

20. *Clericus fideiuſſionibus inſeruiens abijciatur.*

21. *Eunuchus per inſidias, aut perſecutionem, aut naturam factus, fieri Epiſcopus poſſit.*

22. *Seipſum abſcindens, Clericus non fiat.*

23. Cle-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

23. Clericus ſe eunuchiZans abijciatur.

24. Laicus ſe caſtrans triennio excommunicetur.

25. Epiſcopus fornicator deponatur.

26. Itemque Clericus.

27. Soli Cantores & Lectores nubere poſſint.

28. Epiſcopus aut Presbyter peccantes fideles non verberent.

29. Gradu clericali depoſitus ſi exerceat miniſterium Ordinis, excommunicetur.

30. Ordinatus ſimoniacè deijciatur; ordinans excommunicetur.

31. Per ſæculares intrans in Eccleſiaſticam dignitatem deponatur.

32. Presbyter, ſeorſum conuentus agens, deponatur.

33. Ab abſtento abſtineant omnes, nec recipiatur, niſi mortuo excommunicante.

34. Nec Epiſcopus ſine Commendatitiis in aliena Eccleſia recipiatur.

35. Plurium Epiſcoporum ſit vnus Metropolitanus, cui omnes pareant.

36. Epiſcopo non liceat aliena in prouincia Ordinare.

37. Proprium non recipiens Epiſcopum, excommunicetur.

38. Bis quoquo anno Concilia celebrentur.

39. Epiſcopo non liceat ex bonis eccleſiæ aliquid condonare parentibus.

40. Epiſcopi bona ſint à bonis Eccleſiæ diuiſa.

41. Temporalium æque ac ſpiritalium cura ad Epiſcopum pertineat.

42. Ebrioſus in Clero excommunicetur.

43. Item Lector aut Cantor.

44. Item Vſurarius in Clero.

45. Item orans cum hæreticis.

46. Item baptiſmum ab hæreticis ſumens.

47. BaptiZatum rebaptiZans deponatur.

48. Dimittens vxorem, ducensque aliam, excommunicetur.

49. In baptiſmo trina fiat merſio.

50. Abſtinens carnibus, non ob aliud bonum, excommunicetur.

51. Presbyter non recipiens pœnitentem deponatur.

52. In Feſtis abſtinens carnibus ob abominationem, deponatur.

53. Clericus, in caupona cibum ſumens deponatur.

54. Item Epiſcopum calumnians Clericus.

55. Calumniator Clerici excommunicetur.

56. Exprobrans alteri defectum corporis inculpabilem, excommunicetur.

57. Epiſcopus aut Presbyter negligens in erudiendo Clero, ſegregetur: ſe non corrigens, deponatur.

58. In neceſſitate ijdem Clericos alant.

59. Prauos libros bono ſub titulo extrudens deponatur.

60. Accuſatio delicti contra fidem non recipiatur in Clero.

61. Negans Chriſtum ex metu, eijciatur.

62. Comedens de ſuffocato, iudicetur.

63. Cum hæreticis orans deponatur.

64. Clericus percuſſor deponatur: Laicus, excommunicetur.

65. Item qui in Sabbato aut Dominico ieiunarit.

66. Violator virginis eam ducat.

67. Bis ordinati deponantur.

68. Clericus, non obſeruans Quadrageſimam, deponatur.

69. Cum Iudæis ieiunare non liceat.

70. Ethnicis aut Iudæis dans luminaria, excommunicetur.

71. Sur-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

71. *Surripiens oleum aut ceram ex templo excommunicetur.*

72. *Item Vaſa ſacra in vſum profanum ſumens.*

73. *Contra Epiſcopum procedatur eum vocando; vocatus tertio non comparens, damnetur.*

74. *Delatio contra Epiſcopum non accipiatur à Iudæo; nec ab vno ſolo.*

75. *Epiſcopus non conferat conſanguineis bona Eccleſiæ.*

76. *Monoculus, aut claudus, ſi dignus ſit, fieri Epiſcopus poſſit.*

77. *At non fiat mutus, ſurdus, cæcus, corpore læſus.*

78. *Dæmoniacus nec fiat Clericus, nec oret cum Chriſtianis.*

79. *Neophytus non fiat Epiſcopus.*

80. *Epiſcopus ſe negotijs ſecularibus non implicet.*

81. *Seruus non fiat Clericus, niſi manumiſſus.*

82. *Epiſcopus militiæ vacans deponatur.*

83. *Conuitians Imperatorem aut Magiſtratum Clericus deponatur, Laicus excommunicetur.*

84. *Libri qui ſint Canonici.*

In ſequentibus Concilijs dictorum Canonum quorundam fieri contigit ſeu declarationes, ſeu in accedente mutationes pro variatione temporum, locorum. &c.

IMPE.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN